



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Quomodo distractiones sint rejiciendæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

*Quomodo distractiones nos occupent ac decipiant.*

**Q**Uoad modum, quo nos infestant, experientia docet, ab iis ex improvise nos occupari, & sensim à nostro proposito diverti. Quandoque advertenter illis cedimus, et quasi inviti ob nimiam illarum importunitatem. Quandoque verò magna ex parte nostra intercedit ignavia, quæ facit, ut illis locum demus, id quod non potest fieri sine peccato veniali plus aut minus notabili: Verùm necessariò advertendum est, una ex parte interiorem recollectionem esse rem adeo teneram, ut nisi nobis probè prospiciamus, minimâ re turbati possit; ex alia parte, si quando incautè alicui distractionum occasione locum dedimus, fideliter valde eis resistendum esse, ubi animo nostro obversabuntur.

*Duo puncta notari digna.*

*Quomodo distractiones sint rejicienda.*

**U**Bi primum ergò quis distractum se esse animadvertit, subito ad se redeat, humiliter à Deo veniam petat, cœptamq; orationem necesse est prosequatur meliori, quàm ante, resolutione absque eo quod multum consideret, undenam diversæ cogitationes istæ nasci potuerint: multò enim satius est citius eas relinquere, absque alio conflictu & cor fortiter atque affectuosè ad Deum convertere. Corde enim ad officium suum restituto, ac voluntate novo desiderio vacandi propositæ orationi instructâ, cæteræ potentæ facillimè reducen-

reducentur ; cùm enim evidentissimum sit, cogitationes nostras ordinariè nasci ex affectibus , mox ubi hi ad Deum reversi fuerint, illicò illæ sequentur.

Quod si verò difficulter quis possit distractionem relinquere, eo quod cum aliqua voluptate illi immoretur, ille generosè semetipsum superare debet, cogitando : 1. se esse coram Deo & loqui divinæ Majestati. 2. magnum esse contemptum, relinquere ipsum ob nugas & quisquilias tractandas. 3. si ille tantæ est erga nos bonitatis, ut ne ad momentum quidem divinos oculos suos à nobis avertat : æquissimum sanè esse, ut nostros quoque ab ipso minimè avertamus, saltem pro illa hora, quâ ipsum oramus. Actus istâ ratione formari poterunt.

*Praxis.*

1. **Q**uonam feror, mi Deus ? anima mea ubi sumus ? Attende nos esse coram Deo, coram quo Angeli præ reverentia contremiscunt, & tu illum contemnis ?

2. Coram quo & cum quo loquimur ? ubi est honor, reverentia ac sensus Majestatis Dei, quæ hic præsens est ?

3. Vellesne facere, non dico Regi, sed homini mediocris conditionis, quod fecisti Deo tuo ? Qualis foret irreverentia, illum relinquere &, interrupto sermone cæpto, ad servos ipsius fortè præsentis se convertere, cumque iis aliis de rebus longè diversis sermones miscere ?

4. Quid

De  
oratione